

X 23A 6497

IIc  
1312

Q. D. B. P.

AD

PRAESENTIAM EXOPTATISSIMAM  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

IOANNIS FRIDERICI  
PRINCIPIS SCHWARZBURGENSIS

E QUATVOR S. R. I. COMITIBVS COMITIS HOHN-  
STEINI DYNASTAE ARNSTEDI SONDRERSHVSAE LEV-  
TENBERGAE LOHRAE AC CLETTENBERGAE

RELIQVA

*PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI*

RECVRRENTE IN FASTIS AVSPICATO DIE

IOANNIS MEMORIA

INSIGNITO

ORATIONIBVS PVBLICIS DEMISSISSIME

CELEBRANDAM

OMNES

BONARVM LITTERARVM FAVTORES ET PATRONOS

REVERENTER ET OFFICIOSE INVITAT

SCHOLA FRANCOHVSANA

INTERPRETE

M. IO. FRIDERICO ECKHARD. R.

AMPLISS. PHILOSOPHOR. ORDINIS IENENSIS ADIVNCTO ET SOCIE-  
TAT. LATINAE SODALI HONORARIO.

QVI DE

TITVLIS NONNVLLIS IMPERATORIBVS HONORIS ET  
REVERENTIAE CAUSA A ROMANIS ATTRIBVTIS

PAVCA PRAELOQVVTVS.

FRANCOHVSAE, LITTERIS KEILIANIS.





1772

SEVERISSIMI PRINCIPIS AC COMITIS  
FRANCISCAE MEXICANAE

JOHANNIS FRIDERICI  
PRINCIPIS JOHANNIS

PRINCIPIS JOHANNIS  
PRINCIPIS JOHANNIS

JOHANNIS MEMORIA

GRATIONUM IN REGIS

SCHOLA FRANCISCA  
SCHOLA FRANCISCA

II. JO. FRIDERICUS RICHARD. R.

ANNO DOMINI 1772

REVERENDIAE CAUSA A ROMANO ATTORIS

FRANCISCAE, LITTERIS RICHARDIS







Princeps quondam terrarum populus fuit Romanus. dubiumque, & anceps hic fecit, vtrum magnitudinem, an vero prudentiam illius, qua administra ad tantam magnitudinem adscendit, mirari magis debeamus. Ad illa pro se quisque animum suum

si intenderit, quibus censei prudentia potest, per quos, quibusque artibus domi, militiaeque & partum, & auctum sit imperium Romanum, quorsumcunque oculos suos conuertet, notas prudentiae eximioris, non obscuras illas, sed ad cognoscendum obuias, lateque relucen-tes vbiuis deprehendet. Neque etiam defecit illa nunquam, aut remisit de magnitudine sua, sed in omni fortuna, quam variam, atque multiplicem experta est, res Romanorum publica, similis sibi est, statuique semper,





per, ac conditioni ipsius, ita conueniens, ita adcommo-  
data deprehenditur, vt quaeuis alia capere ex ea possit,  
quae ad imitandum sumat. Fuit semper admirationi,  
saeculisque venturis erit, ob instituta sapientissima, ea  
quum rei publicae forma esset, vt senatus, populi que re-  
geretur arbitrio, non minori vero admiratione, animum  
cuiusque repleri necesse est, qui intuetur illam, ad vnum,  
quum summa rerum esset delata. Amissa semel, atque  
extincta libertate, quam tanti pretii aestimabant, tan-  
toque molimine defenderant, nihil non, quasi oblitum pe-  
nitus pristini rei publicae status, ad nouam illius for-  
mam, & stabiliendam, & ornandam referebant. Ea  
etenim, quum facies rerum esset, in quonam magis la-  
borandum iis erat, quam vt, quantum quidem possent,  
reuerentiae, & obsequii erga illum omnibus iniicerent,  
qui rerum moderator, & arbiter futurus, cuius voluntas  
pro lege, nutus pro ratione, in cuius manu opes essent  
positae, dignitas, vita denique omnium? Qua autem ra-  
tione, in ipso imperii initio, quo tempore, si villo alio,  
in primis hoc necessarium videbatur, obtinere illud com-  
mode poterant? Si ritus, & instituta, illustriora praeser-  
tim spectamus, quibus splendorem, ex quo & reueren-  
tia solet existere conciliare volebant; animaduertimus il-  
los, adhibitis verbis conceptissimis, atque ad fixam, per-  
petuoque sibi similem formam redactis, veluti consecra-  
re ea consueuisse. Quod, quum longo, ac diuturno vsu,  
ad obtinendum id, quod intendebant, adcommodatissi-  
mum esse intellexissent, neque mirum videri poterit cui-  
quam, quando simile quid ad imperantes summos vene-  
ratione sacrandos tentarunt, significantissimisque illos  
nominibus, atque titulis splendidissimis ornarunt.

Pri-



Primum facile, sed & reuerentiae, ac venerationis plenissimum. *Augusti* nomen est, quod Cn. Octauio Caesari, orbis Romani, per longum temporis spatium diffidius, atque bellis perniciosissimis distracti pacatori, a Senatu A. V. DCCXXVI. ipsis idibus Ianuariis attributum est (a) Permultum omnino dignitatis huic nomini inesse, vel ex eo existimare quilibet posset, quod censentibus nonnullis, quia condidisset imperium, *Romulum* illum esse vocandum, hoc tamen, utpote sanctius, reuerentiusque praelatum illi sit (b) Imminuunt hinc maximopere vim, atque pondus huius nominis, qui ab *augendo* deriuant, quasi ideo esset impositum, quod pluribus regionibus, in prouinciae formam redactis, magnitudinem imperii auxisset, (c) quippe quod a sacro potius, & augurali verbo, nimirum ab *augurio*, siue *auium gestu*, ortum suum repetit. (d) Hanc igitur originem

A 3

- (a) Dies hicce, facer postea Romanis fuit, uti ALEXANDER AB ALEXANDRO docet, *Genial. diar. Lib. III. Cap. XVIII.* quippe quo, ob *Augusti* cognomen Octauio delatum, in templo Iouis Opt. Max. veruex a flamine immolabatur.
- (b) Ita memorant SVETONIVS in *vita Augusti Cap. VII.* & FLORVS *Lib. IV. Cap. III.* SERVIUS, Virgilii interpres, primo *Quirini* titulum, Octauio destinatum esse refert. Idem vero *Quirinus* est, qui Suetonii *Romulus*, quod pluribus demonstrat, CONRAD. SAM. SCHVRTZFLEISCHIVS in *Dissertat. de Titulo Augusti.*
- (c) Ex fonte hoc manauit, quod imperatores, inde a Rudolphi Habsburgici temporibus, quibus germanicum, idioma in imperio inualuit, dicti sint: *Allezeit Mehrer des Reichs.* vid. pluribus *Observation. Selectar. ad rem litterar. spectant. Tom. VII. Obs. XIV. §. XIII.*
- (d) Indicat originem hanc SVETONIVS *loc. cit.*



ginem si respicimus, quum loca, ab auguribus, templo cuidam erigendo, augurato constituta, sancta habita, & adpellata sint, ea vocis huius potestas citra controuersiam erit, vt *sanctum*, (e) & *venerabilem* significet; atque non multum diuersam saltim harum vocum significationem esse, ex eo facile adparet, quod ipse CICERO *sanctum, augustumque* coniungit. (f) Ipso itaque Quiritium iudicio, ac interpretatione, sacrum quiddam, ac venerabile vocabulo huic inest, id, quod Graeci etiam illo complectuntur, quando Augustum, Σεβαστόν, *venerabilem, adorabilem* adpellant. Quid quod? tanta fuit huius nominis veneratio, vt Deorum quoque maiestati haud indecorum illud, aut indignum ea habuerint; additumque omnino Diis nonnullis esse, lapidum testimonio comprobatur. (ff) Nomen itaque hoc, qui eiusmodi esse secum cogitat, non mirabitur, illud Octauii auctoritate comprobatum, ab omnibus illius successoribus constanter seruatum, atque religione quadam, ac reuerentia populorum esse cultum. Scilicet, adeo proprius titulus hic, imperatorum maiestatis fuit, vt insequentibus temporibus, qui consortes imperii essent, vel a militibus tantum, absque senatus suffragio constituti, *Caesares* quidem, non *Augusti* dicerentur. (g) Coniuges vero imperatorum, sicut iure merito in partes dignita-

(e) conf. OVIDIVM Lib. I. Fastor. v. 609.

(f) Tusculanar. Quaest. Lib. V. Cap. XIII.

(ff) Inscriptiones, huc pertinentes, integras vide in *Observation. Select. ad rem litterariam spectantibus*, Tom. VII. *Observuat. XIV. §. V.*

(g) pluribus conf. PITISCVM, in *Lexico Antiquitatum*, voce *Augustus*.



tis, splendorisque vocatae, quo ipsi mariti fulgebant; ita & in huius nominis societatem venerunt, consensu- que patrum, Liuvia (h) primum, postquam Octavio nupsisset, *Augusta* cognominata est. Iam, quum de vi, & vsu huius adpellationis expositum breuiter sit, non difficile erit constituere, dignane illa sit, quae a Romanis, prudentiae quippe laude florentissimis, summis imperantibus attributa sit? Quemadmodum vero, nihil illo nomine sanctius, nihil venerabilius esse potest; ita & nescio, an aliud quoddam adcommodatius excogitare potuissent, ad animos ciuium veneratione implendos, quum vix in mentem venire posset huius nominis, quin monerentur, eum, qui illo esset conspicuus, reuerentia, quanta fieri posset maxima esse profequendum.

Consimile, imperiique eminentis fastigium indicans, *Domini* nomen est, quod destinatum quidem Octavio, imperii formatori, sed & repudiatum ab illo, neque a successore eius, Tiberio admissum est. (i) Vehementer enim semet ipsum falleret, qui ex eo, qui nunc fere est, vocis huius significatu, qua pro communi ingenuorum titulo vtimur, eum, qui priscis illis temporibus obtinuit, metiri vellet, ac diiudicare, cuius vis, si cum alia quadam voce contendenda, non minor certe, quam illa fuit, quae *regis* nomini est propria. Eum nimirum tunc temporis, hoc nomine signabant, penes quem, summa, nullisque limitibus adstricta potestas esset, atque ideo & inter Deorum adpellationes occurrit.

Non

(h) vide ALEXANDR. AB ALEXANDRO *Genea' dier. Lib. I. Cap. II.*

(i) conf. SVETONIVM *in vita Augusti Cap. 53. & in Tiberio Cap. 27. TACIT. Annal. II. Cap. 87.*



Non obscura, his positis, ratio est, cur Augustus, cui firmandi adhuc imperii sollicitudo erat proposita, hoc titulo, quum extinctum nondum esset regum odium, ad exacerbandos ciuium animos comparato, abstinere maluerit; vtvt OROSIO (k) haud male obseruante, eo ipso forsitan tempore, quo Christus, verus omnium rerum Dominus nascebatur, non prorsus forte, casuque illud est factum. At quamquam priorum imperatorum, ea, siue modestia, siue versutia fuit, vt splendidum huncce titulum recusauerint; tamen, qui his succedebant, non modo illo se compellari facile patiebantur, sed ipsi quoque hunc sibi arrogabant. Quodsi enim AVRELIO VICTORI (l) fides est habenda, Claudius statim Caesar, titulo hoc est vsus, licet SVETONIVS (m) referat, illum iocantem alios ita compellasse. Atque, si & huic, sine caussa sat graui, diffidas, vel ex Festi, Iudaeae Proconsulis verbis, quando, Caesarem Claudium intelligens, *quid certum Domino scribam, inquit, non habeo*, deduci facile posset. (n) Satis enim haec declarant, non dicam vetitum illo tempore haud fuisse, imperatori nomen hoc tribuere, sed ita notum, ac peruulgatum etiam fuisse, vt *Dominum* illo simpliciter dicente, nemo adfuerit, quin  
Caesa-

(k) *Lib. II. Cap. 22.*

(l) *de Caesare Cap. III.*

(m) *in vita Claudii Cap. 21.*

(n) *Agor. XXV. 26.* Sunt quidem plures, qui ea, quae de Festo, & Paulli itinere, Romam instituto, hic narrantur, non ad Claudium, sed ad Neronis, annum primum referunt: falli autem illos, praeclare docet, *Summe Venerab. CAROL. GOTTL. HOFFMANNVS* in additamentis ad. *PRI. TII introductionem in lection. N. T. Cap. XVII. pag. 246.*



Caesarem Claudium statim intelligeret. Quod vero ab aliis huic erat attributum, ipse postea, arroganter, Domitianus adpetiit, (o) qui abhinc, neque scripto, neque sermone cuiusquam adpellatus est aliter. Ita etiam post, Traiano imperante, usu introductum, atque receptum titulum hunc fuisse, testem locupletiozem dare haud possumus, quam PLINIVM, cuius litterae propemodum omnes, ad imperatorem exaratae, *Domini* compellationem comprehendunt. (p) Communis fere, ab his inde temporibus, imperatorum omnium titulus hucce fuit, atque ad ipsos illos, qui fidem Christianam amplexi, deriuatus, quorum alii vsurparunt illum, alii vero modestiae, & religionis causa declinarunt.

Ex his autem, sicut planum, perspicuumque satis est, inter honoris titulos, imperatoribus attributos, *Domini* quoque titulum esse referendum; ita &, si ad vim illius, paullo ante indicatam, oculos reflectere velimus, nihil est, quod quidem ad imperii eminentiam, & maiestatem pertineat, quod ille non completatur. Praebet itaque & hic prudentiae Romanorum eximioris documentum, si hunc finem respicias, quod breui, & vna significatione, quis ille sit, qui summa ab omnibus veneratione colendus, significare voluerint.

B

Si

(o) conf. SVETONIVM *in vita Domitiani Cap. 13.* Ipse, cum Procuratorum suorum nomine, formalem epistolam diceret, sic coepit: *Dominus, & Deus nosler sic fieri iubet.* Eadem ratione de illo loquitur MARTIALIS *Lib. X. Epigr. VIII.*

(p) *Epistol. Lib. X.* de Commodo confirmat HERODIANVS *Lib. I. Cap. 14.* de Theodosio SYMMACHVS *Lib. VII Ep. XIII. Lib. IX. Ep. XCIV.*



Si qua est reprehensio, quam incurrere hac in re possunt, maior videri ille posset, ex temporum istorum usu, quam vt in imperatores, homines quippe, conueniat, soli Deo, vni, ac vero Domino vindicandus. Atque talis hic iis videbatur, qui Christi disciplinam sequebantur, ideoque hoc titulo compellare imperatores, religioni habebant. Quod vero, quum & iussi facere intermitterent, inter plures alias, hanc quoque ob causam, vti THEOPHYLACTVS (q) memorat, grauiter sunt diuexati. Quidquid vero fit, quamquam non intercedo, prout tum erant tempora, toti huic rei, adulationis haud parum, superstitionis multum admixtum fuisse; tamen ab eo, si recesseris, nihil illo aptius, & adcommodatius esse, quilibet torsan deprehendet, ad summam, quae quidem in homines cadit, potentiam, maiestatemque indicandam.

Pertinent haec cognomina, ad splendorem, & maiestatem eorum, qui supra caeteros homines elati, summo cum imperio, populis vniuersis praesunt; muneris, quod sustinent, rationem spectat, honorifica, & blanda *Patris Patriae* compellatio, qua compellatos esse imperatores a Romanis, accepimus. Initium huius nominis, SCHVRTZFLEISCHIO (r) fatente, incertum est, licet illud certum, exploratumque fatis fit, CICERONEM (s) ita, a Q. Catulo esse dictum, ob patefactam, atque euersam feliciter, nefariam Catilinae coniurationem. Ipse nomen hoc Iulius Caesar adsciuit, non minima,

- (q) Verba ipsius refert SVICERVS in *Thesauro Ecclesiastic.* Tom. II. voce *κβριος*, num. 6. p. 197.  
 (r) In *dissertat. citat. de Augusti Titulo.*  
 (s) Ipse CICERO hoc commemorat. in *Orat. in Pisonem Cap. VIII.*



nima, inuidiae tempeſtatis, quae paullo poſt impende-  
 bat, cauſſa, ex quo, quam magnum, & quam eximi-  
 um illud fuerit, exiſtimari facile poteſt. (t) Magis au-  
 tem refert hoc loco indicare, eos, quibus ſolis, poſt il-  
 lum, permiſſa eſt res publica, cognomine hoc eſſe adſe-  
 ctos, atque illud in Auguſto ſtatim coepiſſe, quem M.  
 CICERO, iam vno, & quadraginta annis ante, dignum  
 hoc nomine iudicauerat. (v) Non ignorabat hic, quam  
 venerandum nomen iſtud eſſet, quamque arduum men-  
 ſuram ipſius implere, quam ob cauſſam illud, neque  
 ſemel, atque iterum a plebe ſibi delatum, recepit, vix  
 autem nono, ante exceſſum, anno admiſit, quum con-  
 ſentiens ſenatus cum populo Romano, hoc nomine il-  
 lum compellaret. (x) Ab his inde temporibus, ſicut  
 omnia, quae Auguſtus ſibi parauerat, ad ſucceſſores po-  
 ſtea dimanarunt; ita & expetitus ab aliis cupide, ambi-  
 tioſeque titulus hicce eſt, ab aliis vero, qui quantum ef-  
 fet, mereri huncce titulum, ſecum penſitabant, ſero de-  
 mum uſurpatus, vti de Veſpaſiano, (y) & Traiano, (z)  
 inter alios conſtat. Iam vero, ſi cauſſam, cur princi-  
 pes ſummos, Patres Patriae conſalutauerint indicamus,  
 hoc ipſum erit aperire, quid adpellatione iſta intelliga-  
 tur. Audiamus itaque SENECAM, (aa) qui *Patriae pa-  
 trem, inquit, adpellauimus principem, vt ſciret datam ſibi  
 poteſtatem patriam, quae eſt temperatiſſima, liberis conſu-  
 lens,*

B 2

- (t) SVETONIVS in vita Caesar. Cap. 76.  
 (v) Philippica XIII. Cap. 6. conf. PITISCVM loc. cit.  
 (x) SVETONIVS in vita Auguſti Cap. 58.  
 (y) Idem, in vita Veſpaſiani Cap. 12.  
 (z) PLINIVS in Panegyrico Cap. 12.  
 (aa) de Clementia Lib. I. Cap. XIII.



iens, suaque post illos ponens. Neque vero etiam, quid a principe ciues expectent, nomen hoc tantum complectitur, verum & hi quoque debiti sui officii, praecclare illo admonentur. Hanc nimirum adpellationis causam, DION (bb) addit, qui eum in finem *patris* nomen, principibus impositum esse pronuntiat, vt *admonitioni esset, eos, qui subiecti iis essent, liberorum loco, principes vero ab his, velut parentes, caros habendos, colendosque esse.*

Non desunt quidem & alii, honoris, reuerentiaeque tituli, (cc) imperatoribus a Romanis dicati, hi vero, de quibus expositum breuiter est, cum praecipui facile sunt, tum praestantissimum, sine dubio omnium, *Patris Patriae* nomen est, vnicuique, qui summo cum imperio, publicae rei praest, adplicandum; quoque vno, quaecunque honoris, reuerentiaeque causa, in summos imperantes dici possunt, continentur. Si honorem respicis, ecquid honorificentius est, quam pater dici populorum, hominumque multitudine innumerabilium? si imperandi potestatem, neque huius significatio illi deest, quum nullum convenientius sit rationibus naturae nostrae, quam parentis

(bb) *Lib. III. Locum exhibet HVBERTVS GOLTZIUS in Commentar. in Numismat. Caesaris pag. 34.*

(cc) Pertinet, huc in primis, quod *Diui* imperatores sint dicti, quae tamen adpellatio ad mortuos magis, quam ad viuos pertinuit. Quod & viuis data sit, probare nititur HERM. POST. in *Diss. de diuinis imperator. titulis.* Vim, & vsum huius vocis, summum humanitatis decus, GESNERVS exponit, in *programme, orationi in Diuam Carolinam praemisso, quod Volumin. I. Opusculor. exstat.*



tis in liberos imperium. Denique, quid efficacius ad laudem summi imperantis multo maximam, quidque gloriosius dici, aut proferri potest, quam summam ipsi legem esse salutem publicam, hunc, ut res civium sint quietae, & florentes, prospicere, hunc pro vita, salute, & fortunis illorum perpetuam suscipere propugnationem? Haec vero, quanta quanta sunt, de illo praedicamus omnia, quem *Patriae Patrem* salutamus. Fortunatissima proinde res publica sit necesse est, cui talis obtigit, vel potius diuinitus datus est princeps, qui *Patriae* dici *Pater* meretur. In huius tutelam laeti omnes, se, suaque omnia committunt, hunc veneratione incorrupta colunt, amoreque, qui filios decet, complectuntur, huic morem gerunt, securitati denique illius, laterum suorum, corporumque oppositus pollicentur.

His iam de intellectu huius nominis disputatis, nemo est nostrum, cui non *IOANNIS FRIDERICI, PATRIS, AC PRINCIPIS SERENISSIMI*, imago obuerfetur, non ea tantum corporis, qua nihil suavius, nihil mitius esse potest, sed animi simulacrum *IPSIUS*, quod, uti summa omnia complectitur, ita & inusitata, aduersus ciues beniuolentia, atque immortaliter de patria merendi studio sese prodit. Ecquis enim est, cui virtutem *IOANNIS FRIDERICI*, paullo propius intueri, aut perspicere aliquo modo licuit, at quorsum fama illius peruagata non est? qui non addendum nomini ipsius, Patris Patriae nomen existimet, nisi pietas illud, obsequio, reuerentiaeque dedita, iam dudum addidisset; quae ingrata sibi visa est, si *PRINCIPEM* potius *ILLVM*



diceret, quum *PATREM* experiatur. Quodsi vero, neque ante iam cognitum satis, atque perspectum esset, *ILLVM* vnum hac adpellatione esse dignissimum; certe pietatis, & gaudii magnitudo, aduentu *IPSIVS* pro-uocata, cuius signa manifesta, & luculentiora nuper vidimus, quanta benignitate, & indulgentia nomen istud exerceat, testatum facere posset. Haec enim qui secum cogitat, fieri non potest, quin ipso sibi subiiciente animo, in sententiam statim veniat, iam dudum, maxima omnium consensione, *ILLVM* vocari ita meruisse. Tam aequaliter igitur ab omnibus ex aduentu *ILLIVS* laetitia percepta est, quam aequaliter omnibus venit, quae vero ingressu ipso creuit, atque in singulos gradus adaucta est.

Huic vero communi omnium laetitiae, suam quoque laetitiam inserit Schola nostra, officioque suo subiectissimo, eo maiori alacritate defungi gestit, quod *SERENISSIM. IOANNEM FRIDERICVM*, & Musarum *PATREM*, quas in contubernium benigne acciuit, liberaliterque habet, esse, & dici posse inter omnes constet. Non itaque auspiciatus diem reducere potuissent fasti, qui nomine, nobis dulcissimo, venerationeque dignissimo, *IOANNIS* insignitus est, quam hoc praecipue tempore, quo *IOANNEM FRIDERICVM, PATRIAE, MUSARVM QVE PATREM*, coram venerari licet. Splendida huius diei lux, adolescentibus nonnullis, ingenii, morumque emendationum laude florentibus, vt fieri par erat, religionem iniecit, praesentiam *SERENISSIMI PRINCIPIS*, votis omnium cupi-



cupidissime desideratam, pro virium modulo, publice celebrandi, precesque pro incolumitate *ILLIVS, PATRIAE QVE MATRIS*, & totius *SERENISSIMAE DOMVS SCHWARZBURGICAE* pie, integreque faciendi.

**IOANNES GEORGIUS GVILIELMVS WAGNER**, sermone latino ostendet, *optimos quosque Principes, cura, ac fauore suo, scholas non indignas habuisse.*

**GVILIELMVS ANTONIVS HANCKEL**, *amorem imperantium, & parentium mutuum, publicae salutis praecipuum esse fulcimentum, latinis verbis probabit.*

**ANTONIVS CHRISTIANVS ERNESTVS SVLTZNER**, *verae libertatis naturam, oratione teutonica delineabit.*

**GEORGIUS LVDOVICVS FRIDERICVS ZACHARIAE**, *litteras, sui fautores, immortalitate donare, carmine germanico exponet.*

Felices nos, si institutum hoc, destinationesque nostras, *PATER PATRIAE INDVLGENTISSIMVS*, benignius interpretabitur: at quanto feliciores, si *PRAESENTI IPSI*, pietatis nostrae demississimae studia probare possemus; quod vero optamus qui-



AKT. 13/12

quidem tacite, sed petere minime audemus. Vos au-  
tem, quicumque litteris, harumque cultoribus fauetis,  
sollemnibus nostris, ad pietatem, erga *SER. PRIN-*  
*CIPEM, AC DOMINVM NOSTRVM CLEMEN-*  
*TISSIMVM* testificandam institutis, vel inuocatos ad-  
esse meminimus; eoque minus necesse habemus, plu-  
ribus vos inuitare. Non itaque, quod rogandi *VOS* fi-  
tis, sed quia mos est ita rogandi, vt honorificentissimam,  
ac honorificam *VESTRAM* praesentiam nobis adcom-  
modetis, reuerenter, & officiose contendo. P. P.  
die Jul. ann. a Sotere nat. clo CCLIII.




*Georgius  
Pater  
Patriae  
Indulgentiae  
Tales nos  
Pater Patriae  
Indulgentiae  
Tales nos  
Pater Patriae  
Indulgentiae*

13/12







X 23A 6497

IIc  
1312

Q. D. B. F.  
AD  
PRAESENTIAM EXOPTATISSIMAM  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
**IOANNIS FRIDERICI**  
PRINCIPIS SCHWARZBURGENSIS  
E QUATVOR S. R. I. COMITIBVS COMITIS HOHN-  
STEINI DYNASTAE ARNSTEDI SONDERSHVSAE LEV-  
TENBERGAE LOHRAE AC CLETTENBERGAE  
RELIQVA  
*PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI*  
RECVRENTE IN FASTIS AVSPICATO DIE  
**IOANNIS MEMORIA**  
INSIGNITO  
ORATIONIBVS PVBLICIS DEMISSISSIME  
CELEBRANDAM  
OMNES  
BONARVM LITTERARVM FAVTORES ET PATRONOS  
REVERENTER ET OFFICIOSE INVITAT  
SCHOLA FRANCOHVSANA

INTERPRETE  
**M. IO. FRIDERICO ECKHARD. R.**  
AMPLISS. PHILOSOPHOR. ORDINIS IENENSIS ADIVNCTO ET SOCIE-  
TAT. LATINAE SODALI HONORARIO.

QVI DE  
**TITVLIS NONNVLLIS IMPERATORIBVS HONORIS ET  
REVERENTIAE CAUSA A ROMANIS ATTRIBVTIS  
PAVCA PRAELOQVVTVS.**

FRANCOHVSAE, LITTERIS KEILIANIS.

